Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift



bat ibi. Leuites interpretatur dicitur assumptus. Quam bene
nomen illud domino xpo conuenit. qui cum dominus esset maiestatis.
humanam nostri causa formam assumpsit. Sed quamuis mutabili
tatis nostre corpus sibi in beate uirginis utero aptaret. habita
bat tamen ibi. idem in diuinitate sua immutabilis perstitit.
assumens quod non erat. mansit quod erat. Egressusque est de bethlehem.
Per hec uerba. iterum eadem humanitas xpi commendatur. Egressus
est enim de bethlehem. quando de sinu patris in hunc mundum
uenit. et pro nobis misericorditer incarnatus. uisibilem se prebuit.
Sed quam ob causam egressus est. Ut peregrinaretur ubicumque commodum
reperisset. idem ut ipse qui per terreni corporis assumptionem. de celo
ut ita dicamus peregrinatus est. peregrinas gentes ad fidem suam in
uitaret. quas ideo peregrinas dicimus. quia per infidelitatem a deo
longe exulauerunt. Corpore quidem quamdiu in terra commorari uo
luit. conuersabatur cum iudeis. ne incredulitati illorum occasio
nem daret. quod eis relictis ad gentes diuertisset. sed tamen corde
et cogitatione ac miserationis respectu cum gentibus fuit. in
quorum cordibus per fidem suam quandoque requiem se inuenire prescriuit
et predestinauit. quam superbus iudaicus populus suscipere recusauit.
Cumque uenisset in montem effraym. iter faciens. declinauit
parum per in domum miche. et interrogatus est ab eo. Unde ue
nis. Uenit unigenitus dei in montem effraym. quando inter iu
deos incarnatus apparuit. iter fecit. quia qui immutabilis est
in diuinitate sua et loco non tenetur. per assumptam humanita
tem. mutabilis et localis fieri dignatus est. declinauit parum
per in domum miche. quia sicut prefati sumus. illud modicum tempus